

Conuentus illos recolentes pectore lato,  
Mulcebunt Latij agmina magna sonis:  
Nec mora puniceis redimentur tempora vittis,  
Ambibunt niueas aurea vincla manus.  
Hinc gressum, cuncti reuocantes viscera opimis  
Explebunt dapibus, læticiamq; ferent.  
Hos inter iuuenes nulli virtute secundus  
Præza tenet certum non sine honore locum.  
Vrbs est Bœmiacis fama notissima campis,  
Quæ gerit à fumo nomina flammifero.  
Prima fuit quondam cuius fundamina iecit  
Czechius, egregium dum struit vrbis opus.  
Hic infans nitidi conspexit lumen Olympi,  
Dum rexit partus clara Diana suos.  
Ergo puer crescens iuuenilibus integer annis,  
Prodidit ingenuas semina mentis opes,  
Naturæq; dedit certissima signa futura,  
Quæ velit Aënidum mollia castra sequi.  
Quare illum genitor primis mox tradit ab annis,  
In patria Clarios discat amare choros.  
Cui dum lusus erat teneris dare tempora Musis,  
Tempore comprehendit parua elementa breui.  
Hinc triplicis gressum faciens ad mœnia Præga,  
Venit vt ingenuis artibus ora riget.  
Hic Codicille tibi iuueniles præbuit aures,  
Dum formas animos clarus in arte rudes.  
Postquàm igitur Latia puer hausit semina linguæ,  
Et potuit summum noscere ritè **DEVM**.

Splendida

114